·Et erāt ſtantes antē thronū·q̄n pa
ti obedire dn̄ in ɔſpectu agni·ſcz vt
cōſpicerent̄ ab agno.i.iheſu xp̄o.ami
cti ſtolis albis .i.dealbati ꝑ baptiſmū
et patiētiam i hac vita pn̄ti ⁊ palme
id ē gl'a triumphal'·in manibꝰ eoꝝ
.i.opibꝰ eoꝝ qđ ad ſtatum futuꝝ ꝑ
tinet·⁊ clamabāt voce magna·red
dentes pro ſalute ſua dn̄o grāꝝ actio
nes·dicētes ſalꝰ deo nr̄o·ſcz deo pr̄i·
·q̄ ſedet ſup thronū.i.ſup ſanctos ſu
os in quibꝰ iudicat ⁊ aſſcribit̄·agno
ſcz filio dei·⁊ oēs angeli ſtabāt·tāq̄
deo obedire pati·in circuitu throni
et ſenioꝝ ⁊ q̄tuor aīaliū.i.ep̄oꝝ ⁊ pa
triarchaꝝ iam in celo regnātium·⁊
ceciderūt in ɔſpectu throni in facies
ſuas ⁊ adorauerūt deū·ſcz humilian
tes ſe corā deo·dicētes amen·Iſtud
amē eſt cōfirmatio huiꝰ laudis·Bn̄
dictio.i.laus ⁊ claritas·id ē impaſ
ſibilitas·⁊ ſapia·que nouit omnia·
·et honor·id eſt reuerentia·⁊ gratia
rū actio·ꝓ collatis bn̄ficiis·⁊ virtꝰ
id eſt potētia operādi·⁊ fortitudo.i.
affectꝰ virtutis ſupne potētie·dn̄o no
ſtro in ſecula ſeculoꝝ amen·

¶In feſto ſancte martini epiſcopi
epiſtola·

Ecce ſacerdos magnꝰ qui in die
bꝰ ſuis placuit ⁊c̄·Quā epiſto
lam q̄re infra in ɔmuni ſanctoꝝ·

¶Itē de ſancta Eliſabeth

Mulierē fortem q̄s inueniet ⁊c̄·
Hanc ep̄l'aꝫ quere ante in fe
ſto marie magdalene·

¶In feſto ſancte Katherine virgis
et martiris

Qui gloriat̄ in domino glorief̄·
Hanc epiſtolam quere infra i
cōmuni ſanctoꝝ·

¶Incipit poſtilla de cōmuni ſancto
rum·Et primo de apoſtolis Ro·viij·

Textus·

Scimꝰ quoniā diligētibus
deum oīa coopant̄ in bo
nū hiis qui ſm̄ ꝓpoſitū vo
cati ſūt ſancti Nam quos
preſciuit ⁊ p̄deſtinauit ɔformes fieri
imaginis filij ſui vt ſit ipſe p̄mogeni
tus in multis fr̄ibꝰ Quos aūt p̄deſti
nauit hos ⁊ vocauit ⁊ quos vocauit
hos ⁊ iuſtificauit·Quos autē iuſtifi
cauit illos ⁊ magnificauit·Quid er
go dicemꝰ ad hec ſi deꝰ pro nobis q̄s
contra nos qui etiam ꝓprio filio nō
pepercit·ſed ꝓ nobis omnibus tradi
dit illum·Quō nō etiam·cū illo oīa
nobis donauit·q̄s accuſabit aduer
ſus electos·deꝰ qui iuſtificat·quis ē
qui cōdemnet xp̄s iheſus qui mortu
us eſt immo qui ⁊ reſurrexit qui eſt
ad dexteram dei qui etiā interpellat
pro nobis·quis ergo nos ſepabit a
caritate xp̄i·Tribulatio an anguſtia
an fames·an nuditas·an periculū·
an perſecutio·an gladius·Sicut ſcri
ptum eſt·quia propter te mortifica
mur tota die eſtiati ſumꝰ ſicut oues
occaſionis·Sed in hiis omnibus ſupe
ramus propter eum qui dilexit nos
Certus ſum enim quia neq̧ mors ne
q̧ vita neq̧ angeli neq̧ principatꝰ
neq̧ virtutes neq̧ inſtantia neq̧ fu
tura neq̧ fortitudo neq̧ altitudo ne
q̧ profundum neq̧ creatura alia po
terit nos ſeparare a caritate dei que
eſt in chriſtio iheſu domino noſtro·

Poſtilla·

Scimꝰ quoniam diligentibꝰ
deum ⁊c̄·Ante inicium illiꝰ
epiſtole ſcribit ſanctus pau
lus in eodem capitulo dicens·Non
ſunt cōdigne paſſiones huiꝰ tempo
ris ad futurā gl'am q̄ reuelabit̄ i no
bis·Tūc ſequitur preſens epiſtola·
Frēs·Scimꝰ quoniam diligentibꝰ de
um·Cor.i.caritatem dei ⁊ proximi
habentes·omnia coopant̄ in bonū·

ſcʒ per ſpūm ſcūm tam pſpera ꝙ ad
uerſa Ecōtrario malis omnia coope
rant̄ in malum. Dñs qui ſm ꝓpoſitū
Ly. i. pdeſtinationē. vocati ſūt ſancti
ſcʒ in pn̄ti per grām. Iſtis eciam pec
cata ꝓpria in bonum ꝓueniāt qꝛ for
tiores ⁊ cautiores reſurgūt. Et eciaʒ
in gloria ad bonuʒ eoꝝ facit peccato
rum memoria. ſicut cicatrices vulne
rum ad gloriam militis qui i bello fi
naliter triumphauit. Nam quos pre
ſciuit. i. anteꝙ̄ eſſent ꝯgnouit. ⁊ pde
ſtinauit. ſcʒ illis grām in pn̄ti ⁊ glori
am in futuro ꝑparauit. cōformes fie
ri imaginis filij ſui. Ly. qꝛ filiatio dei
adoptiua eſt quedam ſimilitudo fili
ationis naturalis diuine. vt ſit ipſe p
mogenitꝰ in multis fribꝰ. i. int̄ mul
tos frēs ſcʒ omnes fideles Vñ Heb.
ij. Nō ꝯfundit̄ frēs eos vocare dicēs
Narrabo nomē tuum fratribꝰ meis
. quos autem pdeſtinauit. Gor. i. ab
eterno ad glām elegit. hos ⁊ voca
uit. ad fidē adducēdo. ⁊ hoc vel exte
rius per pdicationē vel interiꝰ p iſpi
rationē. ⁊ quos vocauit hos ⁊ iuſtifi
cauit. Peccatoꝝ remiſſione ⁊ bonā
opatōe. quos autē iuſtificauit. pctā
remittendo. illos ⁊ magnificauit. in
virtutibꝰ amplificādo vel in glā ex
altādo. Quid ergo dicemꝰ ad hec ſi
deus ꝓ nobis. ſcʒ nos adiuuās. Si h
accipit̄ ꝓ qꝛ. quia deus eſt ꝓ electis
. quis cōtra nos q̄ſi diceret nullꝰ. qꝛ
nullꝰ poteſt reſiſtē ptāti diuine. Qui
eciā ꝓprio filio ſuo. ſcʒ naturali. n̄ pe
percit ſed ꝓ nob. ſcʒ pctōribus omni
bꝰ tradidit illum. ex maxima dilecti
one ad electos. Quō nō eciā cū illo.
ſcʒ nobis donato. oīa nob donauit.
ſcʒ ad ſalutē neceſſariā grām in pn̄ti
et gloriaʒ in futuro. q̄s accuſabit ad
uerſus electos dei. ſcʒ in iudicio fina
li. q. d. nullꝰ. ⁊ cauſa ſubdit̄. deus q̄
iuſtificat. ſentēciando ꝓ electis. ido
pars aduerſa demonum non audebit
mutire. quis eſt qui cōdemnet. quaſi
diceret nullꝰ. ihesus qui mortuꝰ eſt.
Gor. ꝓ nobis reconciliādis. immo ⁊
qui reſurrexit. ꝓ nobis reſuſcitādis
. qui eſt ad dexteram dei. pro nobis
in celum eleuandis. qui eciam inter
pellat pro nobis. Ly. apud patrem
oſtendēdo latꝰ ⁊ vulnera. Et ſic tol
litur oīs cōdemnationis cauſa. Vnde
Bern. Mater oſtēdit filio pectus ⁊
vbera. filiꝰ oſtendit patri latꝰ ⁊ vul
nera. nulla poteſt eē repulſa vbi ſūt
tot amoris inſignia. Quis ergo ſepa
rabit nos a caritate xp̄i quaſi dicēt.
nullus. Nihil enim poteſt hominem
a deo ſeparare niſi peccatum morta
le. Tribulacio an anguſtia an perſe
cucio. an fames. an nuditas. an peri
culum. an gladius. Nunquid ergo ſe
perabūt nos iſta a caritate xp̄i. Nō.
quia caritas omnia ſuffert omnia ſu
ſtinet. p̄. Corin. xiij. Sicut ſcriptum
eſt. in pſ. xliij. quia ꝓpter te mortifi
camur tota die. id eſt varijs tormen
tis ducimur ad mortem quaſi ꝯtinue
ſicut patuit in apoſtolis ⁊ martiribꝰ
. eſtimati ſumꝰ ſicut oues occiſionis.
Ly. quarum occiſio reputatur vtilis
Sic tyrāni bona martirum capiebāt
et cum hoc obſequiuʒ ſe preſtare deo
reputabant. vt patet Jo. xv. Venit
hora vt omnis qui interficit vos arbi
tretur obſequium ſe preſtare deo.
. Sed in hijs omnibus. ſcilicet poſiti
. ſuperamꝰ. id eſt vincamus. ꝓpter
eum. id eſt virtuteʒ qui dilexit nos
. certꝰ ſum enī quia neqʒ mors. Ly.
id eſt timor mortis. neqʒ vita. id eſt
amor vite. neqʒ āgeli. ſcilicet infimi
. neqʒ principatꝰ. id eſt medij. neqʒ
virtutes. id eſt ſupremi. ſcilicet pri
me ierarchie. quorum eſt facere mi
racula. Et per hos eciam intelligunt̄
alij ſuperiores illis. neqʒ inſtancia. i.

pñtia mala vel bona · neq̧ futura · ma
la vel bona · neq̧ fortitudo · i · alicui⁹
violētia · neq̧ altitudo · i · pſperitas
fortune · neq̧ pfūdū · i · aduerſitas · ne
q̧ creatura alia · a p̄dictis · poterit
nos ſepare a caritate dei · q̄ deū dili
gim⁹ · q̄ eſt in xp̄o ihesu dño nr̄o · ſcꝫ
nob̄ oſtēſa Quia maiorē caritatē ne
mo habet · Joh · xv · Text⁹

¶ Itē alia ep̄la de ap̄lis · Ephe · ij ·
IAm non eſtis hoſpites ⁊ ad
uene: ſed eſtis ciues ſancto
rū ⁊ domeſtici dei ſupedifi
cati ſup fundamentū ap̄loꝝ ⁊ ꝓphēta
rū ipſo ſūmo angulari lapide xp̄o ihe
ſu in quo oīs edificatio cōſtructa cre
ſcit i templū ſanctū in dño in quo ⁊
vos coedificamini i habitaculum dei
in ſpūſcō · Poſtilla

IAm nō eſtis hoſpites ⁊ adue ·
⁊ c̄ · Ante inicium illi⁹ ep̄le ſcri
bit ſcūs pau · in eo · ca · di · De⁹ qui di
ues ē in mīa ꝓpter nimiā caritatē ſu
am q̄ dilexit nos · Cū eſſem⁹ mortui
peccatis cōuiuificauit nos xp̄o · cui⁹
grā eſtis ſaluati · Poſtmodū ſequit̄
pñs ep̄la poſt pauca · Frēs · Jam nō
eſtis hoſpites ⁊ aduene · Ly · a deo ⁊
a ſanctis eius · ſed eſtis ciues ſcōꝝ ·
id ē de numero eoꝝ · ⁊ domeſtici dei
· i · in eius eccleſia recepti · ſupedifica
ti · i · inſtructi · ſup fundamentū ap̄lo
rum ⁊ ꝓphētaꝝ · i · ſup doctrinā noui
et veteris teſtamēti · ipſo ſūmo āgu
lari lapide xp̄o ihesu Ly · in edificatio
ne tēpli ſalomonis vt dr̄ · fuit q̄dam
lapis pluries reiect⁹ ab edificantib⁹
et q̄ non ɔueniebat loco cui applica
bat̄ · finalit̄ optime ſedit in ſūmitate
edificij in āgulo duos parietes ɔiun
gēdo · ⁊ fuit figura xp̄i iudeos ⁊ gēti
les · tanq̄ duos parietes i vnā eccle
ſiā ɔiungētis · vñ dr̄ in ps · cxvij · La
pidē q̄z reprobauerūt edificātes hic
fact⁹ ē in caput āguli · ⁊ a dño factū

eſt iſtud · Et iſtā figurā ponit h̄ ap̄l's
vt dictū ē · i quo oīs edificatio ɔſtru
cta · tā a iudeis q̄ a gētib⁹ · creſcit · ſ ·
per augmentū virtutū · in tēplū ſcm̄
in dño · i · quouſq̧ ſit tēplū dn̄i ſanctū
· in quo ⁊ vos coedificamini · cū alijs
fidelib⁹ · in habitaculū dei in ſpūſcō ·
id ē ipſo coopāte ſine quo nullū op⁹
eſt acceptū deo.

¶ Sequitur nūc epiſtola de Euange
liſtis · Eccle · xv · Textus
QVi timet deū faciet bonū ⁊ q
cōtinēs ē iuſticie apprehēdet
illā ⁊ obuiabit illi q̄ſi mater
honorificata · ⁊ q̄ſi mulier a v̄gitate
ſuſcipiet illū · Cibabit illū pane vite
et intellect⁹ ⁊ aqua ſapie ſalutaris
potabit illum ⁊ firmabit̄ in illo ⁊ nō
flectet̄ ⁊ ɔtinebit illū ⁊ non ɔfundet̄
et exaltabit illū apud ꝓximos ſuos
Et in medio eccleſie apiet os eius ⁊
adimplebit illū ſpū ſapiētie ⁊ intel
lect⁹ ⁊ ſtola glorie veſtiet eum
Poſtilla
QVi timet deū faciet bonū ⁊ · ⁊ c̄
Ante inicium illi⁹ lectionis ha
bet in p̄cedēti ca · Beat⁹ vir qui i ſa
piētia morabit̄ ⁊ qui in iuſticia medi
tabit̄ · ⁊ in ſenſu cogitabit circūſpe
ctionē dei · Tūc poſtmodū ſequit̄ pre
ſens lectio · Qui timet deū · Ly · ſcꝫ ti
more filiali · faciet bonū · ſupple opus
· et qui cōtinēs ē iuſticie · Ly · i · tenēs
eā in corde ſimul ⁊ ope · apprehendet
illam · ſcꝫ ſapiētiam diuinam · ⁊ obui
abit illi · Nam preoccupat eos qui ſe
cōcupiſcunt · vel illis prior ſe oſtēdit
Sap̄ · vi · Quaſi mater honorificatā ·
Ly · omni honore digna · cibauit illuꝫ
pane vite · id eſt verbo ſacre ſcriptu
re · vnde Mathei · iiij · Non in ſolo pa
ne viuit homo · ſed in omni verbo q̄d
procedit de ore dei · ⁊ aqua ſapientie
ſalutaris potauit illum · id eſt ſpiritū
tuſſancti de qua dicitur Johānis iiij ·

qui biberit ex aqua quam ego dabo
ei fiet in eo fons aque ſalientis in vi
tam eternam. ⁊ firmabitur in illo.
Ly. deo firmiter adherendo. ⁊ non fle
ctetur. a rectitudine iuſticie. ⁊ conti
nebit illum. id eſt deꝰ continebit eū
ſecum per perſeuerātiam in bono. ⁊
non confundetur. cum reprobis. ſed
honorabit cum electis. ideo ſequit.
exaltabit illum apud proximos ſuos
Ly. id eſt apud ſanctos ſuos qui ſūt
deo ꝓpinqui. ⁊ q2 talis non ſolum ꝑ
fiat ad ſalutem: ſed etiam alijs. ideo
ſequit. ⁊ i medio eccleſie aperuit os
eius. ſcʒ ad docendum populum. ⁊
impleuit eum dominꝰ ſpiritu ſapiē
tie. ad degustandum diuina. ⁊ intel
lectus. ad ꝓponendum ea lucide in
eccleſia. ⁊ ſtola glorie. ſcilicet corpo
ris ⁊ anime. induit eum. quod ſemꝑ
fit perſeuerantibus in exemplari vi
ta ⁊ ſalutari doctrina. Jocūditatem
et exultationem theſauriſauit ſuper
eum. id eſt multiplicauit. ⁊ quoniā
hec gloria non ē tranſitoria Ideo ſub
ditur. ⁊ nomine eterno hereditabit
illum dominꝰ deus noſter.

Item epiſtola de vno martire.
Eccle. xxxi. Textꝰ.

Beatus vir qui inuētus eſt ſi
ne macula ⁊ qui poſt aurum
non abijt nec ſperauit in pe
cunia ⁊ theſauris Quis eſt hic ⁊ lau
dabimus eum. fecit enim mirabilia
in vita ſua. Qui probatus eſt in illo
et perfectus inuentus eſt ⁊ erit illi in
gloria eterna. Qui potuit tranſgre
di ⁊ non eſt trāſgreſſus ⁊ facere ma
la ⁊ non fecit. Ideo ſtabilita ſunt bo
na illius in domino. ⁊ elemoſinas il
lius enarrabit omnis eccleſia ſancto
rum. Poſtilla

Beatus vir qui inuentus eſt ſine
macula ⁊c̄. Ante inicium illiꝰ
lectionis habetur. Qui aurum dili
git non iuſtificabitur. Tūc poſt hoc
ſequitur preſens lectio. Beatus vir
ſcilicet diues in acquiſitione ſcilicet
iuſta. qui inuentus eſt ſine macula.
ſcilicet cupiditatis ⁊ auaricie. ⁊ qui
poſt aurum non abijt. Ly. per concu
piſcentiam malam: ſed magis aurū
ſecutum eſt eum cuiꝰ obſequio viſus
eſt in operibus pijs ⁊ honeſtis. nec
ſperauit in pecunie theſauris. ibi cō
ſtituendo finem ſuum. Quis eſt hic
et laudabimꝰ eum. quaſi diceret ra
rus eſt ⁊ laude dignꝰ. Fecit enim mi
rabilia in vita ſua. Illa enim que ra
ra ſunt homines mirātur. qui proba
tus eſt in illo. ſcilicet auro. ⁊ pfectꝰ
inuentus eſt. in operibꝰ liberalitatis
et miſericordie. ⁊ erit illi in gloria
eterna. vnde Math. xxv. Venite be
nedicti patris mei ⁊c̄. q̄ potuit trāſ
gredi. Nam diuitie dant oportunita
tē faciendi mala. ⁊ non eſt trāſgreſ
ſus ⁊ facere mala ⁊ non fecit. per ſta
bilitatē voluntatis eius in bono. ideo
ſtabilita ſunt bona illius in domino.
Nam pro temporalibus recipit eter
na. ⁊ elemoſinas illiꝰ enarrabit om
nis eccleſia ſāctorum ſcʒ ad informa
tionem aliorum.

Item alia epiſtola de vno martire
Prouer. iij. Textus

Beatus hō q̄ inuenit ſapiam ⁊
q̄ affluit prudētia Melior eſt
acq̄ſitio eiꝰ negociatōe auri
et argēti: pmi ⁊ puriſſimi fructꝰ eiꝰ.
p̄cioſior ē cūctis opibꝰ ſapia: ⁊ oia q̄
deſideranē huic nō valēt cōpari Lōgi
tudo dierꝫ in dextera eiꝰ ⁊ i ſiniſtra
illiꝰ diuitie ⁊ gl'a: vie eiꝰ vie pulcre
et oēs ſemite eiꝰ pacifice. Lignū vite
ē hijs q̄ apphēderūt eā. ⁊ q̄ tenuerūt
eam beati. dominus ſapia fundauit
terram. ſtabiliuit celos prudētia. Sa
pientia illiꝰ eruperūt abiſſi ⁊ nubes
rore concreſcūt. Poſtilla

Beat⁹ homo qui inuenit ſapiām
ꝛc. Ante iniciū illi⁹ lectiōis
habet̄. Quem enim diligit de⁹ corri
pit. ꝛ quaſi pater in filio cōplacet ſi
bi. Tūc ſtatim ſequit̄ pńs lectio. Be
at⁹ homo qui inuenit ſapiētiam. Ly.
id eſt noticiam de diuinis. ꝛ qui af
fluit prudētia. in agibilib⁹ humanis
. melior eſt acquiſitio eius negocia
tione auri ꝛ argēti. Tanto meliora
ſunt ſpūalia bona corporalib⁹. primi
et puriſſimi fruct⁹ eius. Et notanter
dicit pmi. qꝛ nullum op⁹ bonum eſt.
niſi virtute prudētie dirigat̄. ꝛ purif
ſimi. qꝛ bona ſpūalia nō habēt aliqđ
malum admixtum. ſicut frequenter
habēt corporalia. ſicut aurum argen
tum ꝛ ſimilia habēt annexam ſollici
tudinem: eleuationem mētis ad deū
impedientem. ideo ſubdit̄. Preciosior eſt
cunctis opib⁹ ſapia ꝛ omnia que de
ſiderantur huic nō valēt ꝯpari longi
tudo dierū in dextera eius. qꝛ talis p
mo ꝛ pncipalit̄ habet aſpectū ad ce
leſtia ꝛ eterna. ꝛ in ſiniſtra illi⁹ diui
tie ꝛ gl'a. qꝛ ſecūdario ꝛ ex ꝯſequēti
habet aſpectū ad tpalia bene admi
niſtrādo. vie eius vie pulcre. ꝛ oēs
ſemite eius pacifice. qꝛ nullam turpi
tudinē admittit. ꝛ ad decorē vtutū
inducit. Et hominem pacificatū red
dit redigēdo vires inferiores in ob
ſequium rōnis. lignum vite eſt his
qui apprehenderūt eam. Ly. ſicut enī
per lignum vite cōtinuabat̄ vita. vt
ſic homo manēs in ſtatu innocētie de
vita nature trāſiſſet ad vitam gl'e.
ſine morte media. Sicut ſapia de vi
ta grē ducit hominem ad vitam glo
rie. ſine morte mortalis culpe inť me
dia. dum mihi hic in ea pſeueret. ꝛ
qui tenuerit eā beat⁹. qꝛ certitudina
liter ad beatitudinē deducet̄. Dn̄s fū
dauit terram. per ſapiam ſuam. Sta
biliuit celos prudētia. qꝛ ſūt incorru
ptibiles. ſapiētia illi⁹ eruperūt abiſſi
et hoc tempore diluuij. vt habet̄ Ge
ne. vij. Rupti ſūt omnes fontes abiſ
ſi magne. Et nubes rore ꝯcreſcūt. qꝛ
calore ſolis eleuant̄ exalatiōes humi
de ꝛ cōdenſant̄ in nubes

¶ Item alia epiſtola de vno marti
re. Eccle. xiiij. Text⁹

Beat⁹ vir qui in ſapiētia ſua
morabit̄ ꝛ qui in iuſticia me
ditabit̄ ꝛ in ſenſu cogitabit
circūſpectionem dei. Cibauit illū pa
ne vite ꝛ intellect⁹ ꝛ aqua ſapiētie
ſalutaris potabit eum. Et firmabit̄
in illo ꝛ nō flectet̄ ꝛ cōtinebit illum
et nō confundet̄ ꝛ exaltabit illū apđ
proximos ſuos. ꝛ nomine eterno he
reditabit illum dn̄s de⁹ noſter

Beat⁹ vir qui in Poſtilla
ſapiētia ſua morabit̄ ꝛc. Ante
inicium illi⁹ lectionis habet̄ in eodē
ca. Beat⁹ vir qui nō eſt lapſus vbo
ex ore ſuo. Tūc poſt hoc ſequit̄ pńs
lectio nō poſt pauca. Beat⁹ vir qui
in ſapia morabit̄. Ly. meditando di
uina quoꝝ cognitio ꝓprie dicit̄ ſapia
quia ſapida ſcia. ꝛ qui in iuſticia me
ditabit̄. Reddēdo deo debitum cultū
et ꝓximo ſuo amorē fraternū. ꝛ in
ſenſu cogitabit circūſpectionem dei
.i. qꝛ de⁹ circūſpicit omnia ꝛ vbiqꝫ.
Vnde hebre. iiij. Omnia nuda ꝛ ap
ta ſunt oculis eius. Cibauit illū pa
ne vite. id ē verbo ſacre ſcripture ꝛ
aqua ſapiētie ſalutaris potauit illū.
id eſt gratia ſpūs ſci. ꝛ firmabit̄ in
illo. Ly. deo firmiter adherēdo. ꝛ nō
flectetur. ſcꝫ a rectitudine iuſticie. ꝛ
cōtinebit illum ꝛ non confundet̄ ſcili
cet cum reprobis. ſed honorabit̄ cū
electis. ꝛ exaltabit illum apud prox
imos ſuos. id eſt apud ſanctos ſuos
qui ſunt deo propinqui. ꝛ nomine
eterno hereditabit illum dominus
deus noſter.

Item alia epiſtola de vno marti re. Eccle. xxxix. Textꝰ

Iuſtus cor ſuū tradet ad vigilādum diluculo ad dn̄m qui fecit illum ⁊ in cōſpectu altiſſimi deprecabit̄. Aperiet os ſuū in orōe et ꝑ delictis ſuis deprecabit̄. ſi eni dn̄s magnꝰ voluerit ſpū itelligētie replebit illum ⁊ ipſe tanq̄ imbres mittet eloquia ſapiētie ⁊ i oratione cōfitebit̄ dn̄o ⁊ ipſe diriget cōſilium eius ⁊ diſciplinā ⁊ in abſcōditis ſuis cōſiliabit̄ Ipſe palaꝫ faciet diſciplinā doctrine ſue ⁊ in lege teſtamēti dn̄i gloriabit̄ Collaudabūt multi ſapiam eius ⁊ vſq̄ in ſeculum nō delebit̄. Nō recedet memoria eiꝰ ⁊ nomē eius requiret̄ a generatione in generatiouem.

Poſtilla

Iuſtus cor ſuū tradet ad vigilādum ⁊c̄. Ante inicium illius lectionis habet̄ in eodem ca. Sapiētiā oim antiquoꝝ exquiret ſapiens. Et narrationem viroꝝ nominatoꝝ cōſeruabit. Tūc ſequit̄ p̄ns lectio ſiue epiſtola poſt pauca. iuſtus cor ſuum tradet. i. volūtarie. ad vigilādum diluculo. i. a iuuētute. ad dn̄m qui fecit illum. ſcꝫ ad ipſum intētionē dirigēs deuote ⁊ attēte. Et in cōſpectu altiſſimi deprecabit̄. ꝑ impetratiōe ſapiētie. aperiet os ſuū in orōne ꝑ pctis ⁊ delictis ſuis. ſcꝫ emendādis. deprecabit̄ vt ſic ad receptioneꝫ diuine ſapie diſponat̄. Si eni dn̄s magnus voluerit ſpū intelligētie replebit illū. Et ipē ſpū itelligētie repletꝰ. tanq̄ imbres. i. abūdant̄. mittet eloq̄a ſapie ſue. ad docendū ignorātes. ⁊ in orōe cōfitebit̄ dn̄o. totū affectū attribuēs honori diuino. ⁊ ipſe. ſcꝫ deus. diriget conſiliū eius. in agēdis. ⁊ in abſcōditis ſuis cōſiliabit̄ ſcꝫ obſcura clariꝰ ſibi reuelādo. ⁊ ipſe. ſcꝫ a deo illuminatus. palam faciet diſciplinam doctrine ſue. ſibi reuelata alijs ꝯpalandi. ⁊ in lege teſtamēti domini gloriabitur. hec eſt enim gloria ſapiētis in lege domini meditari. collaudabūt multi ſapiētiam eius. Non dicit oēs q̄ homines mūdani ipſum reputant imprudētem eo q̄ nō querit ſciam lucratiuam. ⁊ vſq̄ in ſeculum nō delebit̄. ſcꝫ doctrina ſapiētie eius. vt pꝫ Mat. v. Celum ⁊ terra tranſibūt. v̄ba autem mea nō tranſibūt. Nō recedet memoria eius. ſcꝫ ſapiētis. ⁊ nomen eius requiret̄ a generatione in generationē. q̄ per doctrinam ab eo ſcriptam remanebit nomē eius int̄ homines qui vtūtur illis ſcriptis ad profectum ſuū ⁊ ad ſaluteꝫ animaꝝ ſuarum. Textꝰ

Epiſtola de pluribus martiribus Sapientie tercio.

Iuſtorum anime in manu dei ſunt. ⁊ nō tāget illos tormētum mortis Viſi ſūt oculis inſipiētium mori ⁊ exiſtimata eſt afflictio exitꝰ eorum. Et quod a nobis ē iter exterminiū: illi autem ſunt in pace. Et ſi coram hominibus tormenta paſſi ſunt ſpes illorum immortalitate plena eſt in paucis vexati. in multis bene diſponentur. quoniam deꝰ temptauit illos ⁊ iuenit eos dignos ſe. Tanq̄ aurum in fornace ꝓbauit illos: ⁊ quaſi holocauſta accepit illos ⁊ in tempore erit reſpectus illorum. Fulgebunt iuſti ⁊ tanq̄ ſcintille in arundineto diſcurrent. Iudicabunt nationes ⁊ dominabūtur populis. Et regnabit dominus illorum in perpetuū. Poſtilla

Iuſtorum anime in manū dei ſunt. ⁊ non tanget illos tormentum mortis ⁊c̄. Ante inicium illius lectionis habetur ſic. Inuidia diaboli mors introiuit in orbē terraꝝ imitant̄ aūt illū q̄ ſūt ex p̄te eiꝰ Tūc

ſequit̄ pn̄s lectio ſiue epiſtola. Juſto
rum anime in manu dei ſūt. Ly. Sūt
enim anime iuſtoꝝ immortales ⁊ ſe
parate a corporibꝰ per mortē. Et ſūt
in manu diuine miſericordie p ſecu
ritatē glorie ꝯſequēde. Nam a parte
paſſionis xp̄i poſtq̄ aperta eſt ianua
glorie. Si non habēt aliquid ad pur
gandū ſtatim euolāt ad gloriam. Si
autem habēt aliquid ad purgādum
detinētur in manu diuine iuſticie in
pena purgatorij ad tempꝰ. Sunt tn̄
ſecure de ſua beatitudine ꝯſequēda
ergo dicit̄ hic. Juſtorum anime i ma
nu dei ſūt ⁊ nō tangēt illos tormen
tum mortis. ſcʒ tormentum gehēne.
. Viſi ſūt oculis inſipiētium mori. to
taliter in anima ⁊ corpe. ⁊ exiſtima
ta eſt afflictio exitꝰ illorum. Et ab iti
nē iuſto abierūt i exterminiū. de hoc
mūdo reputata eſt mera afflictio ab
alijs qui aliam vitam hominis nō cre
dūt poſt hanc vitam. ⁊ qđ a nobis
eſt iter exterminij. ſm̄ errorem illo
rum qui dicūt homīes recedētes a no
bis per mortem totaliter extermina
ri. illi autem. ſcʒ iuſti. ſūt in pace ⁊
ſi coram hominibꝰ tormēta paſſi ſūt:
ſpes illorum immortalitate plena ē.
quia nō poteſt amitti Immortalitas
vero ade nō fuit plena qꝛ amitti pote
rat ⁊ fuit amiſſa. in paucis vexati. i.
tribulati. in multis bene diſponent̄.
per gloriam anime ⁊ corpis. quoni
am deꝰ temptauit eos. ſcʒ vt virtꝰ
patiētie eoꝝ nota fieret alijs ad exē
plum imitationis. ⁊ inuenit eos dig
nos ſe. tanq̄ aurum in fornace pba
uit illos. ſcʒ qđ non deterioratur ſed
melioratur. ⁊ in tempore retributiōis
erit reſpectꝰ illorum. nō ſolum quā
tum ad animaʒ ſed etiam q̄tum ad
corpꝰ. qđ reſurget glorioſum. fulge
būt. iuſti per dotem claritatis. ⁊ tā
q̄ ſcintille in arūdine diſcurrēt. per
dotē agilitatis. Judicabūt natiōes
Nam pfecti iudicabūt cum xp̄o in iu
dicio finali. ⁊ dn̄abūtur pplis. ⁊ reg
bit dn̄s illoꝝ imppetuū Textꝰ.
Itē alia ep̄la de martiribꝰ Sap. v
Juſti autē imperpetuū viuēt
et apud dn̄m eſt merces eo
rum ⁊ cogitatio eoꝝ apđ al
tiſſimū. Ideo accipiēt regnū decoris.
et dyadema ſpeciei de manu dn̄i. qm̄
dextera ſua teget eos. ⁊ brachio ſā
cto ſuo defendet eos. Accipiēt arma
turam zelus illiꝰ ⁊ armabit creaturā
ad vltionē inimicoꝝ. Induēt p tora
ce iuſticiā ⁊ accipiēt p galea iudiciū
certum. Sument ſcutum inexpugna
bile equitatē ibūt directe emiſſiōes
fulguꝝ ⁊ ad certū locū deducet illos
dn̄s deꝰ noſter. Poſtilla.
Juſti aūt imperpetuū viuēt ⁊c
Añ inicium illiꝰ lectionis habe
tur in eodē ca. q damnati in inferno
quotidie clamāt. Quid nobis pfuit
ſupbia aut diuitiaꝝ iactātia. q̄d ꝯtu
lit nobis. trāſierūt omnia illa tanq̄
vmbra Tūc ſequit̄ pn̄s lectio que ho
die p ep̄la in miſſa legit̄ in q̄ demon
ſtrat̄ que ſit merces martiꝝ qualiter
a dn̄o ptecti: q̄liter a dn̄o armati ad
pugnā ꝯtra inimicos fidei pceſſerūt
et ſic ad eternaʒ beatitudinē puene
rūt. ergo hic dr̄. Juſti aūt imperpetu
um viuēt. ſcʒ vita glie. ⁊ apud do
minū eſt merces eoꝝ. ſcʒ a quo ſpe
rāt p̄miari nō a mūdo. ⁊ cogitatio il
loꝝ apud altiſſimū. ad cuiꝰ honorē or
dināt facta ſua. ideo accipiēt regnū
decoris ⁊ dyadema ſpeciei de manu
domini. ſcʒ celeſtem gloriam vbi ni
hil eſt turpe. Quoniam dextera tua
teget eos. reponēdo eos in beatitu
dinē que per dexteram intelligit̄. ⁊
brachio ſancto ſuo defendet illos.
In hoc deſignatur ſecuritas beatitu
dinis que a nullo poteſt auferri. Pꝰ

hoc deſcribit miſeriā iniquoꝝ dicens
.et accipiēt armaturā zelus illi9 .Nā
ex zelo iuſticie ꝓcedit ad pturbatio
nem maloꝝ . ꝛ armabit creaturā ad
vltionē inimicoꝝ Ly. Nam oib9 cre
aturis vtet̄ ad afflictionē reproboꝝ .
Sicut ecōuerſo ōnes creature cedēt
ad glam electoꝝ . Induet ꝓthorace
iuſticiam . a q̄ nō poterit deflecti cum
ipſe ſit regula iuſticie: ꝛ accipient ꝓ
galea iudiciū certū . Nam iudicando
non pt̄ deficere . Sumet ſcutū inexpu
gnabile equitatē . q̄ ita erit euidens
ꝙ null9 eā poterit īpugnare . ꝛ ibūt
directe emiſſiōes fulguꝝ . ad afflictio
nē maloꝝ . ꝛ ad certuz locū deducet
illos dn̄s de9 noſter . Nam ſm qđ do
min9 preordinauit de ipſis . ita ꝛ ipſi
predicationis ꝛ paſſionis certa loca
adierūt . Text9

Itē ep̄la de ſcis martirib9 Sap. x.
Reddet de9 oēm mercedē labo
rū ſanctoꝝ ſuoꝝ ꝛ deducʒ il
los in via mirabili . Et fuit il
lis i velamēto diei: ꝛ luce ſtellaꝝ no
cte . Trāſtulit illos mare rubrum: ꝛ
trāſuexit illos ꝑ aquā nimiam inimi
cos autē illoꝝ dimerſit in mare . ꝛ ab
altitudine inferoꝝ eduxit illos . Ideo
iuſti tulerūt ſpolia impioꝝ ꝛ decāta
uerūt dn̄e ſanctum nomē tuum ꝛ vi
ctricē manū tuam laudauerūt parit̄
domine de9 noſter Poſtilla .

Reddet de9 mercedem laboꝝ ꝛc̄
Ante inicium illi9 lectionis ha
bet̄ in eodem ca . Sapiētia eterna ven
ditum iuſtū . ſ . Joſeph quem frēs ſui
vendiderūt nō dereliq̄t . ſed a pctōri
bus liberauit eum deſcēditq3 cū illo
in foueā ꝛ in vinculis nō dereliquit
illum . Et mendaces oſtēdit qui ma
culauerūt eum ꝛ dedit illi claritatez
eternam . Tunc ſequitur preſens le
ctio ſiue epiſtola . Reddet de9 . ſcʒ iu
ſtis . mercedem laborum ſuorum Ly .
Nam de mandato ddomini filij iſrael
recedentes ſpoliauerūt egiptum . ſcʒ
mutuo a vicinis vaſa aurea ꝛ argen
tea accomodando . ꝛ hoc in recōpen
ſatione laboruz quib9 iniuſte aggra
uauerāt eos egiptij . vt habet̄ Exo .
xij . Et deduxit illos in via mirablii .
Et fuit illis in velamēto diei ꝛ in lu
ce ſtellaruz nocte . Nam columna nu
bis per diem: ignis per noctem . tran
ſtulit illos per mare rubrum Et trāſ
uexit illos per aquam magnam . Ini
micos illorum dimerſit i mare . ꝛ ab
altitudine īferiorum . id eſt de fundo
maris eduxit illos . Idō tulerūt ſpo
lia impiorum . viderūt enim egiptios
mortuos ſuper littus maris . Exodi .
decimoquarto . Et ſpoliauerunt eos
armis preciosis . ꝛ ſm hebreos . Iſta
preda fuit maior ꝙ̄ iſta qua pri9 ſpo
liauerant egiptum vaſis aureis ꝛ ar
genteis . ꝛ decantauerūt domine no
men ſanctum tuum . dicentes illud
canticum Cantemus domino glorio
ſe enim magnificatus eſt . equum ꝛ
aſſeſſorem deiecit in mare . ꝛ victricē
manum tuam . id eſt potentiam tuā
egiptios ſubmergētem . laudauerūt
pariter domine de9 neſter .

Item epiſtola de plurib9 martiri
bus . Prouer . xv . Text9

Lingua ſapientum ornat ſciē
tiam os fatuoruz ebulit ſtul
ticiam . in omni loco oculi do
mini contemplantur bonos ꝛ malos
lingua placabilis lignū vite . que au
tem immoderata eſt cōteret ſpiritū
Domus iuſti plurima fortitudo . ꝛ in
fructu impij conturbatio . Labia ſa
pientum diſſeminabunt ſcientiam .
cor ſtultorum diſſimile erit . victime
impiorum abhominabiles domino vo
ta iuſtorum placabilia Qui ſequitur
iuſticiam diligetur a domino .

Poſtilla

Ingua ſapiētum ornat ſcientiā
⁊ c̄. Ante inicium illiꝰ lectionis
habet̄ in eodē ca. Reſponſio mollis
frāgit irā. ſermo durꝰ ſuſcitat furo
rem. Tūc ſtatim ſequitur pn̄s lectio
. lingua ſapiētum ornat ſciam. q2 de
bito tp̄e ⁊ loco ⁊ ḡtioſe ꝓponit eam
. os fatuoꝝ ebulit ſtulticiā. q2 īpetu
oſe ꝓfert eā. in omni loco oculi dn̄i
cōtemplantur bonos ⁊ malos lingua
placabilis .i. ſuauis eloquio erga ꝓx
imū ⁊ oratione intēta erga deum ad
ipſū placandū. lignū vite. q2 ſicut ꝑ
lignū vite cōtinuabit̄ vita corꝑalis
ita per talem linguam vita ſpūalis
. Que autē immoderata eſt. ſcȝ ad lo
quēdum. conteret ſpūm. q2 in multi
loquio nō deerit peccatum. Domꝰ iu
ſti plurima fortitudo. q2 dominꝰ ꝓte
git eam. ⁊ in fructibꝰ .i. in operibus
. impij cturbatio. q2 malus nō poteſt
habere pacem ad ꝓximum: nec ecā
ad ſeipſum. labia ſapientum diſſemi
nabūt ſciam. ſcȝ populum docendo
. cor ſtultorum diſſimile erit. ſcȝ cor
di ſapiētis ⁊ eciam ſibiipſi. q2 diuer
ſis ⁊ varijs cogitationibꝰ agitat̄. vi
ctime impiorum abhominabiles dn̄o
ſicut oblatio cayn. q2 fuit de alieno
vel mala volūtate. vota iuſtoruȝ pla
cabilia ſicut pȝ de abel q2 ad abel re
ſpexit dominꝰ ⁊ ad munera eius. q̄
ſequit̄ iuſticiam. ſm eam operando
. diligēter a domino. qui eſt regula
iuſticie. Textꝰ

Itē alia ep̄la de martiribꝰ Pro. x
Xpectatio iuſtorum leticia.
ſpes autem impiorum ꝑibit
fortitudo ſimplicis via domi
ni: ⁊ pauor hijs qui operant̄ malum
Juſtꝰ ineternum nō cōmouebit̄. im
pij autem nō habitabūt in terra Os
iuſti ꝑturiet ſapiam. lingua prauoꝝ
peribit. labia iuſti conſiderāt placita
os impiorū peruerſa. Simplicitas iu
ſtorum diriget eos ⁊ ſupplantatio ꝑ
uerſoꝝ vaſtabit illos. Juſticia recto
rum liberabit eos ⁊ in inſidijs ſuis
rapient̄ iniqui. Juſtus de anguſtia li
beratus ⁊ tradet̄ impius ꝓ eo. Simu
lator ore decipit amicum ſuum. Juſti
autem liberabūtur ſcia. In bonis iu
ſtorum exultabit ciuitas ⁊ in ꝑditio
ne impiorum erit laudatio in benedi
ctione iuſtoꝝ exaltabit̄ ciuitas

Xpectatio iuſto Poſtilla.
rum leticia. ſpes autem ⁊ c̄. An
te inicium illiꝰ lectionis habet̄ in eo
dem ca. ſic Timor domini apponit di
es ⁊ anime impiorum breuiabūtur.
Tūc ſtatim ſequit̄ pn̄s epiſtola. Ex
pectatio iuſtorum leticia .i. beatitudo
eterna que habet annexam leticiam
. Spes autē impioꝝ peribit .i. p̄ſump
tio eoꝝ peribit. Quia p̄ſumūt habe
re beatitudineȝ ſine meritis dicētes
Deꝰ nō fecit nos ad damnādum ſed
ad ſaluandū. Fortitudo ſimplicis via
domini .i. eius iuſticia ſimplices ⁊ re
ctos p̄miando. ⁊ pauor hijs qui ope
rant̄ malum. ſcȝ impios puniēdo. Ju
ſtus ineternum nō cōmouebit̄. ſcȝ a
ſtabilitate v̓tutis. impij autem non
habitabūt ſuper terraȝ. ſcȝ viuentiū
os iuſti ꝑturiet ſapiam. ſcȝ alios do
cendo. lingua prauorum peribit. Vn
de diues epulo in inferno exiſtēs ma
gis cruciabatur in lingua ꝙ̄ in alijs
membris. vt patȝ Lu. xvi. Labia iu
ſti cſiderāt placita. ſcȝ deo ⁊ homini
bꝰ. ⁊ os impioꝝ peruerſa .i. blaſphe
mias cōtra deum ⁊ iniurias cōtra ꝓ
ximum. Simplicitas iuſtoꝝ. ſcȝ q̄ ꝓ
cedunt in factis ſuis ſine plica doloſi
tatis. diriget eos. ad btitudinē. ⁊
ſupplātatio ꝑuerſoꝝ. q̄ decipiunt ſim
plices. vaſtabit illos. in pena iferni
et ecā aliqn̄ ꝓpt̄ hoc deſtruūtur in vi
ta pn̄ti. iuſticia iuſtoꝝ liberabit eos
ſcȝ a morte gehēne. ⁊ in inſidijs ſuis

capiēt̄ iniq̄. Sicut q̄ iudices iſidiātes
ſuſāne fuerūt adiudicati morti Juſtꝰ
de āguſtia libatꝰ ē vt traderet̄ ipius
ꝓ eo qd̄ ptz ꝺ dd̄ iuſto q̄ fuit ī regno
reſtitutꝰ ⁊ ipiꝰ Abſolō cū t̄bꝰ lāceis
trāſfoſſus .vtz .ij. Re. xviij. Simula
tor .i. ypocrita q̄ ſimulat ſcītatez .ore
decapit amicū ſuū .i. illū a quo ſperat
ꝓmoueri cui adolat̄. Juſti aūt libeā
bunt̄ .ſcz ab iſta deceptōe .ſcia .ſcz q̄
diſcernimur īnt̄ ſcītatē verā ⁊ fictā.
.in bōis iuſtoꝝ exaltabit̄ ciuitas ſcz a
deo. Sicut Ezechias orōibꝰ ⁊ lacri
mis ſuis ſaluauit ciuitatē ihr̄l'm a ſē
nacherib. vt patet .iiij. Regum. xix.
Similiter ſanctus baſilius in nouo te
ſtamēto oratione ſua ciuitatē a Juli
ano apoſtata.

Item ep̄l'a de pluribꝰ martiribꝰ.
Hebre. xi. Textꝰ.

SAncti p fidē vicerūt regna.
opati ſūt iuſticiā. adepti ſūt
repromiſſiōes Obturauerūt
ora leonū. extinxerūt īpetū ignis. ef
fugauerūt acīē gladij. ꝯualuerūt de ī
firmitate. fortes facti ſūt in bello Ca
ſtra verterūt exteroꝝ. acceperūt mu
lieres de reſurrectiōe mortuos ſuos
Alij aūt diſtēti ſūt nō ſuſcipientes re
dēptionē vt meliorē īuenirēt reſurre
ctionē Alij vō ludibria ⁊ vbera exp
ti ſūt ſup ⁊ vīcula ⁊ carcēs. lapidati ſūt
ſecti ſūt. tēptati ſūt. ī occiſiōe gladij
mortui ſūt Circuierūt ī me lotis ī pel
libꝰ caprīs Egētes āguſtiati. afflicti
quibus dignus non erat mundus in
ſollicitudinibus errantes ⁊ in monti
bꝰ ⁊ in ſpeluncas et ī cauernis terre
Et hij omnes teſtīonio fidei probati
inuenti ſunt in chriſto ihēſu domino
noſtro.

Poſtilla

SAncti p fidē vicerūt reḡ ⁊c̄. In
ep̄l'a ꝯmemorat ap̄l's patiētiaz
et paſſiōes ⁊ victorias ⁊ fidē ſancto
rum martiꝝ cuiꝰ virtute patiētes fue
rūt ⁊ victōres extiterūt dicēs. Sacti
ꝑ fidē vicerūt regna. ſicut patet in
martiribꝰ qui vicerūt reges ⁊ p̄ſides
.operati ſūt iuſticiā ⁊ adepti ſūnt re
promiſſiōes Ly. gratie in via. ⁊ gl'e
in patria. obturauerūt ora leonū. ſi
cut legit̄ de Daniele miſſo in lacū leo
num. Et de pluribꝰ martiribus ⁊ vir
ginibꝰ legit̄ in legēdis ſanctoꝝ ꝙ fu
erūt ꝓiecti ante leones ⁊ vrſos ⁊ ta
mē manſerūt illeſi. Extinxerūt impe
tū ignis. Sicut tres pueri miſſi a na
buchodonoſor in fornacē ignis. q̄bꝰ
ignis nō nocuit. nec eos in aliquo cō
triſtauit. Similie etiam legit̄ de pluri
bus ſanctis martiribꝰ ⁊ virginibꝰ in
nouo teſtamēto. Effugarūt acīē gla
dij. id eſt exercitum accinctum gla
dijs vt Dauid ⁊ multi alij reges ⁊ prīn
cipes diuino adiutorio vicerūt exer
citꝰ magnos ⁊ fortes in veteri ⁊ etiā
in nouo teſtamēto. ꝯualuerūt de in
firmitate per orationem ⁊ penitentiā
vt Ezechias Job ⁊ Thobias ⁊c̄. Si
mile legitur de ſanctis noui teſtmen
ti ꝙ multi infirmi ſūt curati per oratō
nes ſanctoꝝ ⁊ per penitētiam. Fortes
facti ſunt in bello. Sicut ioſue ⁊ iu
das machabeꝰ cum filijs ſuis qui for
titer bellando obtinuerunt terras ⁊
ciuitates. Caſtra verterūt exteroꝝ.
id eſt inimicorum quos verterunt in
fugam. Acceperunt mulieres. id eſt
matres. de reſurrectiōe mortuos ſu
os .id eſt pueros ſuos reſuſcitatos ſi
cut per heliam ⁊ helizeum ī veteri te
ſtamento Et etiam multi defuncti in
nouo teſtamēto reſuſcitati ſunt per
chriſtum ⁊ apoſtolos ⁊ per alios ſan
ctos ſicut patet in legendis ſanctoꝝ.
.Alij autem diſtenti ſunt. ſcilicet in
aculeo ⁊ alijs tormentis propter fi
dem vnius veri dei. Non ſuſcipiētes
redemptionem. id eſt nō accipiētes
liberationem ſicut ſanctus Andreas

quí de cruce depomi noluit. ⁊ ſic de a
lɿs. vt melioꝛem inuemrēt reſurre
ctionem. vt quāto grauioꝛa ſuſtine
rent ꝓ xp̄o. tāto glorioſiꝰ coꝛonenť.
.Alɿ vero ludibꝛia ⁊ verbera expe
ti. inſuper ⁊ vincula ⁊ carceres lapi
dati ſūt. vt Jheremias ⁊ Zacharias
filiꝰ ioiade. ſecti ſūt ſicut yſaias ſerra
lignea ex iuſſu regis manaſſe. temp
tati ſūt. ſcꝫ ꝓmiſſionibꝰ perſecutoꝝ
et blandimētis munerum vt ad ydo
latriam inclinarent. in occaſione gla
dɿ mortui ſūt. qꝛ multi ī veteri teſtā
mēto nolentes cōſentire in ydolatri
am gladio percuſſi ſūt. Et omnia iā
enumerata etiam in nouo teſtamen
to ſāctis martiribꝰ ⁊ etiam v̉ginibꝰ
cōtigerūt ꝓpter fidem domini noſtri
iheſu xp̄i. Poſt hoc deſcēdit ad hēmi
tas ⁊ ſāctos qui nō effuderūt ſangui
nem ſuum ꝓpter fideꝫ catholicam di
cēs. Circuierūt. per deſerta ⁊ ꝑ mul
ta mūdi loca. in melotis. Vbi notā
dum ꝙ melota eſt animal cuius pel
lis eſt hiſpida ſicut pellis hericɿ. et
pellibꝰ caprinis. Nam illis pellibꝰ te
gebanť ſancti .i. homines ſilueſtres
viuētes in deſertis locis. ſicut helias
et ſanctus iohānes baptiſta. ⁊ ſic de
alɿs. Egētes. ſcꝫ neceſſarɿs. ⁊ āgu
ſtiati. ſcꝫ anxietatibꝰ. afflicti. labori
bꝰ ⁊ preſſuris. quibꝰ .i. quorum con
uerſatione ⁊ habitatiōe. dignꝰ non
erat mūdus. id eſt amatores mūdi
erāt digni tantoꝝ virorum p̄ſentia
. in ſollitudinibꝰ errātes in montibꝰ
et in ſpelūcis ⁊ ī cauernis terre. ſpe
lunce a natura facte ſūt: cauerne ar
te vel caſu facte ſūt. Talia enī loca ī
habitabāt antiqui patres vt eſſent ī
loco apto diuine contemplationi. ⁊
hɿ omnes. ſcꝫ predicti ſācti. teſtimo
nio fidei .i. fide eoꝝum atteſtāte. ꝓba
ti. id eſt ꝓbabiles inuēti ſunt in xp̄o
iheſu domino noſtro.

¶ Sequiť nūc epiſtola de vno cōfeſ
ſore ⁊ pōti. Eccle. xliiɿ. Textꝰ

Ecce ſacerdos magnꝰ qui in
diebus ſuis placuit deo ⁊ in
uentꝰ eſt iuſtus: ⁊ in tempo
re iracūdie factꝰ eſt recōciliatio. Nō
eſt inuentꝰ ſimilis illi qui cōſeruaret
legem excelſi. Ideo iureiurādo fecit
illum dominꝰ creſcere in plebem ſu
am. Benedictionem omniū gētium
dedit illi ⁊ teſtamētum ſuū cōfirma
uit ſuper caput eius Cognouit eum
in benedictionibꝰ ſuis ꝯſeruauit illi
miſericoꝛdiam ſuā ⁊ inuenit gratiaꝫ
coꝛam oculis domini. Magnificauit
